Anabaptists

THE FOLGER SHAKESPEARE LIBRARY




THE FOLGER SHAKESPEARE LIBRARY
PIONEER
NO. 4503
MADE IN U.S.A.

GRANA ANGELICA

HOC EST

Pilularum hujus nominis insignis utilitas.

Quibus etiam accesserunt alia quædam paucula de durioris alvi incommodis propter materiæ cognationem, ac vice supplementi in fine adjuncta.

STUDIO AC LABORI

PA. ANDERSONI MED. AC Phys. *Edenburgens.* propriorum amicorum jussu publici juris conscripta.

An Opobalsami nihil est in Gilhade? An Medicus nullus est ibi? Nam cur non convaluit populus meus. Ierem. 8. 11.

EDINBURGI
Excudebāt Hæredes ANDRÆ HART.
1635.

CICERO.

Otii fructus, non contentio animi, sed relaxatio.

NOBILISSIMO,

AC

ILLUSTRISSIMO DOMINO

D. IOANNI MARRIÆ

COMITI, GAREOCH &c.

ARESKINORUM Familiæ Regulo præclari ordinis, quem vocant Thermarum Equiti, & Sacri Regii Supremi Senatus Regni SCOTIÆ Consiliario *dignissimo*, Patricius Andersonus Med. *S. P. D.*

QUando nihil adeo limatum (Comes Nobilissime) ab incude literaria his criticis temporibus in medium prodire possit, quod Zoilorum dentes impune fugit, more simplicium columbarum ab aucupibus petitarum, ad petræ foramina convolantium, ad tuæ nobilitatis clientelam, tanquam tutissimum asylum confugio. Celebri enim tui nominis fama atque authoritate adductus, Mecænas Nobilissime. sub tuo patrocinio Medicamentum hoc meum Angelicum viris generosis atque benevolis impertire non gravabor: Optime interim mihi conscius perexigua, imo nulla mea esse merita quibus hanc gratiam a-

pud Nobilitatem tuam conciliem; mea tamen, quod ignoſces, audaciæ, iubet bene me ſperare propenſa tua in omnes benevolentia. Adde, quod plurimum me quoque incitat, quod te ſponte ad Heroicam aſpirare virtutem, certo mihi perſuaſum habeam, eiuſque te ingenij eſſe qui bene velis doctis & eruditis omnibus. Accedit quod divinæ artis medicæ, omniumq; aliarum ſcientiarum te candidiſſimũ eſſe Patronum iam diu didici. Verum ſubſiſtendum in tuis laudibus mihi conſultiſſimum eſſe exiſtimo quod epiſtolaris brevitas omnia virtutum tuarum encomia non ferat. Ego vero in has anguſtias incidi, ut tenuis fortunæ ruſticos imitari cogar, qui cum ſuis creditoribus, ob rei familiaris tenuitatem, ſoluendo non ſunt, illis nunc Caſeolo, nunc fructibus, nonunquam Gallina, aut ſimili ſymbolo gratitudinem ſuam teſtificari ſolent. Sic ego qui tantam beneficiorum â te & illuſtriſſima tua coniuge indies accipio, ut ſolvendo eſſe non poſſim, nunc chartulis nunc libellis, aut alio gratificandi per quam tenui munuſculo, animi mei propenſionem in tuam nobilitatem utcunq; ſignificatam volo. At ſi quid peccatum, quod tibi tanto viro, hæc tenuia offeram, ſpero tamen me veniam apud te impetraturum

qui

qui indole illa te digna haud nimus læta fronte exigua ab infimis quam magna à ſummis accipere ſoleas. Sed vela contraho, ne longæ orationi comes ſit faſtidium, præſertim apud eum cui ſunt magna negotia curæ. Quamvis obiter velim ne adeo ſupra modum cures uti ſoles, ſed quodammodo cures uti valeas. Saltem ſi ſanitatem affectas, Cave ne animum tum triſtitiæ tradas, neque angas teipſum conſilio tuo: lætitia enim cordis eſt vita ipſa hominis. & exultatio producit dies viri. *Triſtitia igitur vitanda, quæ paſſio animalis media inter iram & timorem, & maxime corpori & animo nocet: nam in merore animi deiicitur ſpiritus, ut legimus in Proverbiis:* Spiritus triſtis exſiccat oſſa: *Unde Ovidius.* Eccleſ 9.20 Prov. 17.22

Unda locuſque nocent: & cauſa valentior iſtis
Auxietas animi, quæ mihi ſemper adeſt.

Denique cum pſalmiſta, Reiice in Iehovam quicquid dat tibi, & ipſe ſuſtentabit te, non permittet iuſto ut dimoveatur. *Caterum enixe oro, ut libelli huius tutelam ac patrocinium ſuſcipias, quem tibi offero, perpetuum obſequii mei monumentum. Accipe igitur (Comes Illuſtriſſime) non quod mea temeritas obtulit, ſed quod tua Nobilitas extorſit munuſculum, ut* Pſal. 55. 23.

quem

quem clientem habere voluisti, habeas & brevem laudatorem, & æquo animo, quin etiam hilari benignoque munus hoc levidense nostrum suscipies, quo tibi non modo libellum hunc dicandum censui, sed meipsum, meaq; omnia tui patrocinio nominis obstringere decrevi. Ideoq; tibi persuadeas velim me in te colendo, atque observando nullum locum, nullum studium, nullo unquam tempore prætermissurum. Sic animo gratissimo, non tam oblati dignitatem, quam offerentis in te animum atque pietatem ponderans, hæc boni consule. Quod si pro tua consuetudine feceris, maiorem mihi scribendi alacritatem, maximam tibi nominis tui gloriam parabis. Vale ARESKINORUM *familiæ decus & ornamentum.* EDINB. *ex ædibus meis Nonis Iulii* 1635.

Nobilitati tuæ
Addictiss.

PA. ANDERSONUS.
Med.

LECTORIBVS *TAM SANIS QVAM* ægrotis, Salutem.

MEDICINAM, quam Diis acceptam retulit antiquitas, magno semper in honore habitam fuisse veterum monumenta testantur, adeo ut nulla gens tam barbara extiterit, quæ non aliquam saltem ejus partem amplexa, saltem perfunctoriè in tantæ artis contemplatione fuerit versata. Imo postquam astutissimi serpentis fraude peccatum in generis humani perniciem est invectum,

Theologis animam subiecit, lapsus Adami,
Et corpus Medicis, & bona Iuridicis.

Quinetiam beati sunt Medici, inquit Philosophus ille summus & Medicus a *Villa Nova*, quibus *D*eus scientiam arcanorum naturæ impertivit, & secretorum suorum conscios fecit. *Siracides* de Medico verba faciens, inquit *à Rege accipiet donationem, & altissimus dedit scientiam hominibus honorari in mirabilibus suis*; & naturæ quasi socios esse voluit. Ex quibus liquido constat, non tantum naturæ lege, & imperatorum sanctionibus, sed ex Ecclesiastici præcepto habendum esse Medico honorem & beneficii gratitudinem, aliàs non recessurum malum a domo ingrati. *Hippocrates* Medicorum omnium Princeps in libro de præceptionibus, scribit Medicum à mercede exordiri curationem oportere, quia si a mercede inchoaveris (ut est apud eundem) conducit vniverso negotio: Ægrotus enim apud se statuet Medicum a pacto se

Cap. 38

Medicum curationem a mercede exordiri.

se non relicturum; si vero non pacisceris, neglecturum, & de quibusdam in rem præsentem non admoniturum. Ex hoc utique præcepto quęstuosi Medici curandum esse de cõstituenda mercede concludunt, & quidem interim dum morbus urget (quia inquiunt) ars quæ non venditur vilipenditur, & præterea;

Exige dum dolet, nam postquam pena recessit
Audebit sanus dicere, multa dedi.

Et quid non largiatur homo in periculo constitutus, liberatori suo? An vero sit ullus tam insanus, qui in vitæ discrimine pecunię parcat? Cui usui nummi reservat illico periturus? *Pellem pro pelle* ut legitur in libro *Iobi*, & *omnia quæ possidet homo, dabit pro anima sua.* Idcirco festive *Philipus* Magni Alexandri pater, cum clavicula luxata laboraret & subinde aliquid pecuniæ Medicus posceret, *Accipe* (inquit) *omnia quæ voles, quandoquidem clavem habes*, alludens accipite voce κλεις enim tam clavem quam commissuram humeri cum pectore significat, similiaque multa exstare exempla, quia,

Philippi. Meced dictum festivum. Plutarch. Apoth.

Medicis in morbis totus promittitur orbis,
Mox fugit a mente Medicus morbo recedente.

Et habere medicum triplicem faciem: Hominis vnam, quando cum cæteris benevalentibus conversatur; Angeli alteram, quando urgente morbo ad ægrotum accersitur: Tertiam Satanicam seu Diabolicam, quando patientem jam restitutum invisit, de quibus etiam jocose sic Poeta cecinit;

Tres Medicus facies habet: Vnam quando rogatur,
Angelicam, mox est, cum iuvat, ipse Deus.
Ast ubi curato poscit sua præmia morbo,
Horridus apparet, terribilisque Satan.

Hic

Hic quibus aliquantum avidior ad rem videbor, meminerit Pſyſiologos, quibus cura corporum medicando, ſicut Theologos cura animarum prædicando non nihil lucri ad noctem domum apportare velle. De me ad hunc modum ſi placet, iudicium ferre fas eſto, ut ut eſt, quod mihi amiciſque proprium deſtinaveram vobis incommodum publicum eorundem ſuaſu non invitus evulgatum volui, ut pote, tam e re veſtra, quam in rem noſtram ratus tandem fore, ſi deinceps me curent ægroti, pro ut & illos ego unguento non verbo. Accipite ergo hoc verum *Alexicacum Angelicum*, & ſingulare præſidium noſtrum, quod ad conſervandam ſanitatem, & præcavendos humani corporis morbos vobis imperciendum eſſe judicavi. Si ſatisfecero, eſt quod Deo gratias agam, ſin minus, obſecro ut imbecillitati meæ, quæ veſtra eſt prudentia ignoſcatis. Si autem bonis & candidis not diſplicet hanc ſolam laboris noſtri mercedem volo. Rogamus ergo pro candore animi veſtri, ne genium noſtrum & propenſum in φιλιατρίας ſtudium accuſetis, ſed potius ut hoc noſtrum conſilium amicorum ſuſceptum perſuaſione æqui bonique conſulatis. Nec puto mihi multum laborandum ut apud veros Medicos Aſclepiadæos illud pluribus commendem: Quandoquidem non ſolum domi inter noſtrates & viros fide dignos haud obſcuræ conditionis verumetiam per vniverſam ferre Galliam & Italiam multis ab hinc annis earum fama publice invaluerit, cum & per conſenſum excellentiſſimorum medicorum, nominatim autem per D. D. Dominicum & Cechinum fratres ex Martinellorum familia virus eruditiſſimos ad Signum Angeli Civitatis Almæ Venetiarum non procul a *Rivi Alti* Ponte uſui publico,

confici-

conficiuntur. Sed ne videar vino vendibili Hederam ſuſpendere, aut ſtrenue currentibus calcaria admovere, aut denique de meipſo plura quam conveniat dicere, plus verborum facere nolo.

Vos vero (Lectores humaniſſimi) feliciter valete; & diu vivite, candorem in iſtis judicandis adhibete, & *Anderſonum* veſtrum φιλιατρον favore ſolito jucunde proſequimini, illumque commodis veſtris tam addictum viciſſim benevolentia veſtra complecti pergite, errata item typographica, ſiqua vobis forte occurrent, æquo animo corrigite.

Ad D. Patricium *Anderſonum* Med. de *Granis* ſuis *Angelicis*.

ANgelica appelles quod, pulchro nomine, Grana,
Queis ſumptis homines eiaculare ſolent,
Quæ Pallas menti ſuggeſſerat? Anne malignè
Cælitibus cautum civibus eſſe velis?
Vt ne unquam ſemant præter tua Pharmaca, ventrem
Saburra quoties exonerare volent:
Atque interdictum mortalibus omnibus optes
His uti ne quis audeat aut emere.
Quod ſi aliter longè menti ſententia ſedit,
Grana *tua & prudens dixeris* Angelica,
Non quod ea Angelicas poſſint vacuare lacunas,
(Nam nulla eſt puris facula Spiritibus,)
Sed quod mortales purgent & ſtercore, & auro
Sculpta in quo facies fulgeat Angelica.
I felix, quocunque voles! Tibi ſe Angeli ab ipſis
Prognati foriis addiderint comites.

Io. Adamides Academiæ *Edinburgenſ.* Primarius.

Eiuſdem.

Angelicè quicunque volet producere vitam,
Grana *Anderſoni comparet* Angelica.

Si

PATRICIO ANDERSONO *MEDICO EXCELLENTI DE* MEDICAMENTO SUO Angelico.

SI quis Αλεξικακον πολλων ἀνταξιον ἄλλον
Quærat, adest, parvi est gemma superba libri
Vidimus Hadriacis habitum Panacæan in undis
Nobilis hinc tanti est vox, & origo boni.
Nam non planta dedit, non vis (licet enthea) nomen.
Angelus est signum: Qui parat hicce parat.
Quisquis aves tantæ fructum decerpere gemmæ,
Gratia si presto est, Grana *parata cape.*
Quis nisi mentis inops, Hygieiæ præferat aurum?
Hoc & habens auro non Panacæan emat.

Pa. Sandeus *Academ. hujus quondam Primarius.*

Autoris læta-minantis.

QUi cupit haud durum, sed molle aut sæpe cacare
Continuò furvas devoret hasce pilas:
Si gula, si ventris gravis est aliquando saburra,
Aut caput inde dolet, hæ sine fraude levant.
Hîc nihil angelicum est: Sunt succi grana salubris:
Vis forica est ipsis, stercus & omne cient.

Anonymus quidem posuit.

Angelicis

In laudem Pilularum *Angelicarum*.

ANgelicis Granis *temere haud finxere parentes*
Nomina, nec vulgi credula simplicitas.
Angelicæ his vires, nam quam Panacæa salutem:
Sola Andersoni Grana *vorata dabunt.*
Queis licet utaris nullo discrimine sexus,
Aeris, ætatis, temporis atque cibi:
Ut dicam gratum, Angelico pro munere lector
Nobilis, Angelicas talio poscit opes.

IAC. EDMESTONUS Eccles.
Sancti Niniani Pastor prope
Sterlinenses.

MAGISTRO PA. ANDERSONO. D. Medico amico suo singulari.

VVlgata & vetus est multis contentio sit ne
Miles vel Doctor nobilitate prior?
Examinare Pilis studet is, feliciter iste
Passim vivaces dat pilulis homines.
OEdipus an Davus litem determinet istam,
Spondeo, primus honor cedet amice tibi.

Anonymus quidam.

DE VIRO CONSULTISSIMO, AMICO OPTIMO, D. PA. ANDERSONO *M. D.* Tractatum de *Granis Angelicis* evulgante.

PHæbigenam æthereis Aſclepion *intulit aſtris*
Dia ſalutiferos ars meditata globos.
Quidni etiam Angelicos ferat Anderſonus *honores,*
Qui dedit Angelicos, aurea grana, globos?

Tho. Crafordius.

De mirandis globorum Angelicorum viribus. Mirum, ſed verum.

GRammothetam duro cruciabat ventre ſaburra,
Languorem triſti febre minata malum.
At ſimul Angelicas ſtanno deſcribere ſphæras
Cæpit, & in varios digerere arte typos:
Protenus omne malum fugit, foricaſque capaces
Explevit ventris deiicientis onus.
Quanta globis vis eſt ipſis? cum prima tonantis
Oppreſſit bombi vox inopina malum?

GRANA

GRANA ANGELICA

HOC EST

Pilularum hujus nominis in-*ſignis utilitas.*

COnferunt valde ſtomacho, ipſumque corroborant, appetitum proſtratum excitant, ac leviter purgant utramque bilem, potiſſimum pituitoſam materiam: Humores putridos craſſoſque blande & ſine detrimento expurgant, inteſtina confortant, obſtructiones reſerant, doloremque ventriculi diſſipant. Ad ſtomachi dolores

Capiti, ut & cunctis ſenſibus, præſertim autem auditui & viſui conferunt, imbecillitatem eorumque dolorem auferunt, *Vertiginoſis* auxilium præſtant, ac prẹter purgationem Ad morbos Capitis.

Hemicra-

Hemicraniam tollunt, Caputque corroborant, non ſecus quam ipſum Stomachum, Imo cæteris medicamentis admiſta præſtant ut minus Stomachum lædant, adeo ut omnibus antiquorum *Hieris*, omnibus medicamentis *Stomachicis*, *Aloedaris* ſeu *Marocoſtinis* ſine cura benignis ac familiaribus optimo jure præferri poſſint.

3. Omnibus porro *Vteri* malis, ac omnibus muliebribus vitiis a frigiditate natis mirifice medendis proſunt: humores vitioſos ac Vteri purgamenta à partu ſuppreſſa per loca convenientia, ſine omni exceſſu lædente purgant & educunt: Sterilitatem ex impuritate Vteri valde conferunt, & a fluore illo albo muliebri mundificant, ac proinde conceptioni eum habilem reddunt.

Pro Uteri malis.

4 Ejiciunt craſſam putridam, pituitoſamque materiam, & præſertim ipſam bilem ab inteſtinis ſine ulla mole-

moleſtia & tædio, *aſtrictam alvum* ſuaviter leniunt, fæceſque diutius detentas expellunt, ita ut multiplici nobis uſu familiares eſſe poſſint. Quod ſi quis ſanitati ſuæ optime & diutiſſime conſultum velit, in prandio vno, & in cœna altero ex his Granis quotidie utatur.

Alvus aſtricta.

5. Necant ſuffocantque *lumbricos* intus enatos, tam pueris quam mulieribus prægnantibus (duramque Alvum habentibus) & viris, imo corpora illa quæ his granis ſæpius utuntur, *vermes* non generant.

Vermes vēticuli.

6. Dantur etiam, cum maxima facilitate, Puerulis, Delicatis & otioſis, Senibus quoque & hominibus alias medicinas purgantes reſpuentibus, quibus appetitus perverſitas, alterius medicamenti ſumptionem diſſuadeat ób ſaporis offenſam alioquin tolerandam, ſi ſic utiliter falli deſiderant, Imo & his quibus ventriculus nauſea premitur, & qui ſo-

Medicina pro Puerulis & Senibus &c.

lo aſpectu medicamentorum odorem perhorreſcunt.

Alvus aſtricta in gravidis.

7. Quod ſi in gravidis (ut ſæpe accidit) alvus ſit aſtrictior, vnicè cavendum ſub partus tempus, ne Colon excrementis diſtentum parturienti dolores adaugeat: conſulo ut Grana hæc in tali caſu domi in Theſauris parata ſemper habeant, præſertim cum nec Clyſteres, neq; Glandes gravidis ita conveniant, quia hæ partes infernas agitant irritantque loca circa Uterum, ſic ut abortûs periculum immineat: Grana vero iſta, imo potius in ipſo enixu puerperii (ut ſæpe a multis obſervatum eſt) ſine omni periculo in ovo recenti ſorbili devorata, feliciter auxilium præſtant.

8. Totum quidem corpus non purgant, verum ſitam in ſtomacho & ventre ac inteſtinis bilem citra moleſtiam educunt, ac placide vna cum ſubjectis excrementis. Dantur

tur itaque his quibus *Caput* affligitur, propter aſſiduas factas ad ipſum de *Stomacho* evaporationes, excindunt inutilium vaporum allationem. Danda ſunt & *lippientibus* propter eandem cauſam, & his qui obbilis augmentum ſitiunt, quibus lingua & os facile reſiccatur, & qui circa ſtomachum *ardorem* & nauſeam, aut moleſtiam aliquam everſoriam percipiunt. Præbentur & his qui præter rationem pallidiores facti ſunt, & in quibus ſuperfluitas eductione indigeat.

Capitis dolor ex conſenſu Stomachi.

Pro oculis lippientibus.

9. Poſſunt aſſumi ad libitum, ſive mane ſive ſero, ſive quavis hora diei poſt cibum, ante cibum, in cibo: ſed veſperi in cæna aſſumpta, defendunt Caput (ut antea diximus) a vaporibus & fumis illis qui nocte caput petunt.

Sumendi tempus.

10. Prohibent etiam morborum multorum generationem, ac ne cibus pernicioſe corrumpatur, & a

ro cibo & otu ſuper-uo.

cibi ſuperflui potuſque copioſi noxa mirabiliter defendunt, quę frequenter poſt injucundum ſomnum gignunt pravas evaporationes.

n Catarhis & deluxionibus n Articulis

11. Quod ſi Caput Catarrhis obnoxium humido, eoque effumanti *Ventriculo* correſpondet, ac defluxiones ad Articulos ruituras molitur, Grana has ſubtrahunt, adeo ut auſi fuerint præclari Medici, iis qui ſibi continuum horum uſum familiarem fecerint polliceri, eos ab omni Podagra & Arthritide ſecuros futuros, ut quibus a quotidianis ingeſtorum cruditatibus ac recremen tis imminutis morbi aut gravaminis cauſa quotidie in ventris ſentinam derivaretur, articulis nullatenus obfutura, quæ alioquin a nobilioribus viſceribus ad ignobiliora membra demandari conſueviſſet, vel eo procumbere ſoleret.

Familiariter cum cibo aſſumuntur.

12. Aſſumuntur familiariter cum cibo ſine animi moleſtia aut corpo-

ris

ris detrimento, negotiorumque intermiſſione, 9. 10, vel 12, ter quaterve in menſe provt neceſſitas vel corporis in temperies poſtulat. Multas non dant ſedes, nec cito, neque violenter operantur, & ad effectum non perveniunt niſi poſt 24 horas, aliquando tamen citius pro diſpoſitione corporis & Stomachi, & abſq; vel cura vel victus obſervantia uti liceat.

Quibus in caſibus non proſunt.

13. Dicendum autem nunc docendumque quibus in caſibus vitari hoc medicamentum debeat, ne Empirico quodam more in eius laude verſati fuiſſe, & ad omnes omninò affectus promiſcuè extuliſſe videamur.

14. Vitare autem iubemus has Pilulas omnes qui *Dyſenteria* aut *Diarrhœâ* acri aut bilioſâ, vel *Hæmorrhoidibus* nimium præſertim fluentibus tentati jam ante partes eas, per quas his fluxionibus tranſitus

eſt

est, offensas habent hoc ipsum commodant, imo noxam adaugent: Nec vero *Hæmorrhagiis* quibuscunque à quacunque causâ aut loco profectis conferunt. Nocent quoque *Pleuriticis*, *Phthisicis*, acutè *Febrientibus*, *Hecticis*, emaciatis, ac consumptis: verum Febres Stomachales ex intermissione redeuntes à pituita præsertim putri suborte eius usum ferunt. Cavendum tamen ab hoc in quibuscunque viscerum inflammationibus, & si quid ex vomica aut Apostemate partis alicujus nobilioris ulcerosum est, earum exhibitio prętermittenda, sicut etiam mulieres abunde menstruatæ ab earum usu arcendæ.

eb. intermittentes tomachales.

Medicamēt hoc viscerū inflamationibus adversum.

15. His & consimilibus casibus exceptis, cæteroquin tuta erit eorum usurpatio, nam & bimuli fere infantes, ipsique senes decrepiti his Pilulis secure, sua pro conditione, uti queunt. Ex Aloe sunt, (ateam

Medici

Medici antiqui una voce *Amicam Stomachi* appellarunt) ſed una cum cæteris concomitantibus adeo correcta, ut nullam unquam corpori noxam invehere, plurimum autem emolumenti, utilitatiſq; idem præſtare valeat: qua de cauſa audacter ac fidenter hujus medicamenti, extra caſus ſupradictos aſſumptionem quilibet inire poterit, quod ut ſapiat & conducat optamus, cum autem id ob amaritudinem guſtui ſapidum futurum ſperare non poſſit, ut quod ſapor negat, utilitas ſecutura reſtituat ac reponat precamur.

16. Verumtamen delicatuli objiciunt, amara hæc ſunt, imo amariſſima ac omnino guſtui injucunda, præſertim cum ex Aloe & aliis Aloeticis conficiuntur. Reſpondeo, Non eſt dignus Aloe qui Aloen non novit, vel qui ob amarorem ejus ſitiorem mortis amaritudinem experiri cogitat: ſecurior namq; eſt

Aloes

Aloes amaritudo in ore, quam necis præcipitiũ, non minus acerbum in ventre. Sane qui valere voluerit, Aloeticis haud quaquam valedicat, sed Aloe sese alat, quamvis amara non nutrire dicat Philosophus, conservare autem dicat Medicus.

Nec refert hæc esse amara: Nam

Dulcia non meruit qui non gustavit amara.

17. Neque studet sanitati qui amat dulcia: videturque natura sub amaritudine multa prorogandæ valetudinis remedia abscondisse ac collocasse, ne quilibet ad stultam longævitatem adspirans ea lamberet, quomodo & spinis aculeisque, aut tetro quodam odore, ut eo a brutis immunes persisterent, præcipuas quasdam plantas armavit.

Prostet hic Rhythmus.

Tota ventris valetudo
Oris sit amaritudo.

18. Quid plura? Nonne quotidiana

ana experientia teſtatur dulcia naturâ lieni eſſe inimica? Quod ipſum obſtruant, & flatulenta ſint. Hoc & primus Philoſophus *Pythagoras* compertum habuit, cum enim quidam dixiſſet: *N*imium me irrides: Atqui iniquit, τοῖς σπληνικοῖς τὰ μὲν δριμέα καὶ πικρὰ ὠφέλιμα, τὰ δὲ γλυκέα βλαβερά: Hoc eſt: Spleneticis etiam acria & amara proſunt, dulcia nocent. Nec ut opinor res eget vlteriori probatione.

19. Sed & illud adhuc ſupereſt notatu digniſſimum, quod hoc Medicamentum ad diverſos morbos analogum iiſque homogeneum reddere poteris. Quoniam vero id ipſum morbos magis antevertit ac præcavet, corpuſque ab iis quam maxime tuetur, ideoque in morbis iam factis aut habitum ducentibus (quia modeſtum, benignum, ac debile per ſe eſt Pharmacum) tanta vi non pollet, ut radicitus eos evellat, liberum erit cuique prudenti Medico

Medico, si necessitas exegerit, aut ex remotioribus locis noxii humores evocandi fuerint, his Granis stimulum quendam adjungere, ut in affectibus Capitis *Extractum Pilularum Cohiarum*, aut id quod ex Speciebus earum, quas *Sine quibus* Galenus appellare fuit solitus, parari consuevit, imo quam maximè *Cnicopharmacum* tum vero & *Extr: Catholicum Panchymagogon*, pro ut in *Hydrope Extr. Mechoacæ, Rhabarbari*, ac *Colocynthidis*, seu *Trochisci Alhand.* vel Grana aliquot guttę *Gamandreæ*, sive *Gambaiæ*, in pectoris ac *Vteri* vitiis, *Extractum Agarici*: unde in contumacibus quoque ac inveteratis morbis prę sertim ab atra bile pendentibus, *Extractum Melampodii*, sive *Hellebori N.* utiliter adhibere poterit: sed hæc omnia modestè, dextrè, caute, ac cum grano (ut aiunt) Salis.

Ego autem Medicamentum hoc

Ange-

Angelicum Virginem esse volui, ut cui nulla inesset nocendi occasio, quodque ab omni Scamoniatorum ac violentorum aliorum medicamentorum admixtione haudquaquam adulteratum, sed impollutum consisteret, ac sanitatis tutelæ nihilominus commodaret. Nec est quod quisquam interaneorum animalia, ut pote *Vermes*, *Lumbricos*, *Ascarides* ac similia vel in ventre progigni vel in hoc ipso permanere posse vel credat vel metuat, si quis illud crebro sumpserit, cum nihil in homine vivere permittat, nisi quod ad ejus partes vel vitam spectet, & quod suo loco monuimus.

Quæ cum ita sunt, nil moror malevolorum calumnias, cum forte ingeniosorum quorundam Catonum aut censorum morsum hæc scripta vix sint evasura. Sufficit mihi bonis, ac recte judicantibus laborem meum, non ostentationis, aut

aut auræ popularis captandę gratia: ſed multos promerendi, artiſque medicæ illuſtrandæ, quin & vniverſi generis humani ſalutis promovẽdæ ſtudio ſuſceptum & hortatu virorum de me optime meritorum typis publicis exſcriptum, probari. Quod ſi quid nocivi (pro ut in caducis fieri aſſolet) hæſerit, id omne admixtione, confuſione ac temperatura eorum liquorũ, qui ad compoſitionem huius pretioſi medicamenti poſtulantur & exquiruntur, commodiſſime temperatur, corrigitur, tollitur, ac emendatur. Mihi autem non licuit, nec tantum in tanta occupationũ mole otii fuit, ut in tam tenuis opuſculi, vel potius opellæ cultura, meas penè vires ac totos quaſi dies, aut maximam eorum partem conſumerem: unde laborum meorum non laudem, ſed veniam petere fas eſt cum Ovidio Lib. 1. Triſt. ſic canente.

Et

Et veniam pro laude peto, laudatus abundè,
Non fastiditus si tibi lector ero.

Tandem præ cæteris, (lector sincere) obtestor, ut prius, quæ conscripsimus, diligenter legas, lecta perfectè cognoscas, ac demum de cognitis candidè judices. Quæ vero in præsenti scripsimus, tibi data reputa, vbi nè scrupulum quidem sine ratione, experientiæ autem expertis ne tantillum quidem comperies: attamen tuo consilio hęc castigare & emendare poteris, si meis curis labores tuos subiunxeris.

Nec sunt suo honore fraudandi cęteri qui similia medicamenta longo & felici usu comperta, in communem *usum* transtulere, inter quæ etiam excellunt *Pilulæ Angelicæ* Nobilis & Clarissimi viri D. D. *Bajeri Francophurdensis*, Item *Balsamus Aloeticus Quercetani*, nec non *Massa Pilularum Aloedarii Marocostini Mindereri*

dereri Medici Reipub. Augustanæ: Verum cedunt hæc omnia in DEI Omnipotentis honorem ac proximi utilitatem. Dignum enim & justum est ut largitor omnium bonorum per opera manuum suarum laudetur & benedicatur: ipse enim est qui immittit & retrahit, qui miseretur & commodat, qui sanat omnes languores, quique facit mirabilia magna solus. Illi inquam, Regi seculorum, invisibili, immortali, soli sapienti DEO, omnis Honor & Gloria in secula seculorum, Amen.

* * *
* *
*

Spernunt me nulli quamvis in corpore parvo
Exiguo libro commoda magna ferunt.

Admo-

ADmonitum hîc te volo (lector benigne) Grana *hæc fideliter nos diviſuros in vrbe noſtra Edinburgenſi, nec ea ullain re daturos diverſa ab iis quæ* Venetiis *conficiuntur. Atque hoc dictum volo, ne quis ab aliis fallatur, qui privati ſui quæſtus gratia, Commentitia hæc ſub nomine meo divulgarint.*

Præterea per decennium & ultra conſervari poſſe, modò in capſulis ligneis à colore ignis corporiſque aut ſaeciperiis non imponantur, ſed à peregrinantibus in ſàcculis coreaceis inter alia neceſſaria conſerventur.

DE

ALVI DVRIORIS

incommodis pauca quædam propter materiæ cognationem, ac vice ſupplementi adjuncta.

HActenus de uſu & facultatibus *Pilularum Angelicarum* pro inſtituto noſtro ſatis dictum, quarum virtutes pluribus proſequi volui, & rogatui multorum gratificari, qui ob plurimas eaſque inſignes earum virtutes hanc a me operam ſummoperè expetiverunt, nunc propter materiæ propinquitatem ſupereſt ut pauca ſanitatis gratia addam. Quanta ſit ſanitatis dignitas, atque præſtantia, non eſt quod multis laborem demonſtrare, quod cuique conſtet, eam non modo fortunæ verumetiam

Sanitatis dignitas.

corporis

corporis bonis esse ante ponendam. Vnde etiam Sacra eloquia idem testantur ex *Sirachi* filio, *Sanitas* (inquit) *& bona constitutio quolibet auro melior est, & corpus validum immensis opibus*. Quisquis ergo sanus corpus suum validum & floridum studiosè tueri velit, diligenter advertat ut venter officium præstet, quod hoc medicamento præstantiore fieri non potest. Qui enim ventrem à natura habent fluidum, salubriores vivent, & minus ægrotabunt quam qui alvum nacti sunt siccam. Vnde Hippocrates alvi siccitatem vniversi corporis confusionem appellat. Pueri tamen alvum humidam, senes vero ut plurimum alvum siccam habent. At senes longe tutius vivere & vires facilius tueri possunt, quibus alvus adstricta est, quam quibus profusa. Illud vero adnotatum Aphoris. Hippocrates reliquit, *quod qui in juventute ven-* Ecclus. 30.

trem habent ſiccam, ut plurimum eum in ſenectute humidiorem habebunt; & contra, qui per juventutem alvo ſunt humida, iis in ſenectute deſiccari ſolet. Sunt quoque aliqui, qui ſine dejectione dies tres aut quatuor per tranſeunt. *Braſavolus* Italus Ferrarienſis & Medicus inſignis de ſeipſo affirmat cum juvenis eſſet, ſex, octo, & aliquando etiam duodecim dies ſine alvi dejectione tranſiiſſe, nec ex hoc aliquod ſe damnum perſenſiſſe. Vrinæ tamen copia per illud tempus multa erat, fęces vero quæ deinde excernebantur adeo duræ & ſiccę apparebant, ac ſi plures dies Soli fuiſſent expoſitę: quæ res mihi admirationem pareret, hominem ſcilicet cum tam inſigni corporis ſiccitate ſanum permanſiſſe, Niſi Furius Catulli mihi occurreret, de quo ſic elegantiſſimus Poeta,

A te ſudor abeſt, abeſt ſaliva,
Mucuſque & mala pituita naſi

Hanc

Hanc ad munditiem adde mundiorem:
Quòd culus tibi purior ſalillo eſt,
Nec toto decies cacas in anno,
Atque durius eſt faba, & lapillis:
Quod tu ſi manibus teras fricesque
Non unquam digitum inquinare poſſes.

Sed hanc alvi duritiem eſuritioni adſcribit *Catullus*: veriſſimum enim id eſt, qui *parum edit parum cacat*. Rectè quoque de numero dejectionum ſtatuiſſe videtur *Hippocrates*: ſiquidem alvum excernere conducit, quoties comedimus. At cibamur bis aut ter in die pro majori parte. Vbi igitur alvi excrementa has non ſervant conditiones, impoſſibile eſt ſanum eſſe corpus, ſeu id a natura, ſeu ex aliena diſpoſitione proveniat. Hac enim ratione bis aut ter Hippocrates excernendũ eſſe ſingulo quoque die, homini ſano ſcriptum reliquit, alioqui fieri non poteſt quis ſanus permaneat. Vnde etiam iſtorum neglectus tria maxime incommoda ſanitati afferre ſolet

1. Primum si fuerit materia levis ut bilis, *Tormina* & *Coli dolorem*, & *Ilium* quandoque excitare solet, atque inde mortem.

2. Secundum est quod *Iecur* exsugit alimentum pravum, id est humiditatem illam a fæcibus: atque hoc est pessimum, adeo ut nil deterius sanitati contingere possit. Quod enim cupit excernere cum pravum sit, exsugere cogitur: quo fit ut fæces exsiccatæ difficilioris exitus intestina sic obstruant, atque ideo obstructionem ac flatuum eductionis præclusionem, fęcumque coacervationem, corruptiones, erosiones, aliaque nocumenta sequantur, unde sequenti die *Tormina* ac multorum morborum origo.

3. Tertio est detrimentum Capitis ex vàporibus, ut pote *Caligines*, *Inflationes*, *Capitis dolores*, *Oblivio* & quandoque deteriora, sicut *Vomitus*, *ciborum aversio*, aliaque superi-

oris

oris partis mala increſcunt. Quibus accedunt etiam ut *Rhazes* teſtatur, Τρισμὸς, & cibi faſtidium, quod malum Græci Ανορεξιαν, Latini vero appetentiæ amiſſionem vocant.

Quare (precautionis gratia) ut hæc aliaq; ſimilia, tam ſæva & horrenda ſymptomata cum facilitate arceri poſſint, (quandoquidem plerique cætera Pharmaca averſantur ac reſpuunt) conſultiſſimum, etiam Sanis, & adſtrictam Alvum habentibus, ut *Angelica* hæc *Grana* tanquam ſingulare & exploratum remediũ in promptu ſemper habeant. Nam quempiam ſic valere, ut perpetuo ſanum ſe profiteri poſſit (non minus quã perpetuo felicem) monſtri ſimile eſſe quisaudacter affirmet

Denique huc etiam conducit notabilis illa Hiſtoria *Savanarolæ* Medici *Borſi* quondam *Ducis Ferrariæ*, qui cum de Alvi duritie triduana quereretur, jubet medicus, ut clyſter

adhibi-

adhiberetur: quem cum Dux renuiſſet, præcepit Medicus ut Aqua frigida pavimentum Cameræ (erat enim marmoreum) aſpergeretur, & Ducem eſt hortatus, ut per eam Aquã nudis pedibus incederet, quod cum feciſſet, vix quinquaginta paſſus confecerat, quin Alvus ſoluta eſſet copioſè. Deinde ad corrigendam frigidam intemperiem aqua callida ut pedes lavarentur præcepit; pro quo remedio centum aureos a Duce merito accepit. Sed remedium illud periculoſum eſt cenſendum, eo quod Colicos dolores & fluxum etiam ventris provocare poſſit

At ne nauſea *Lectoribus Sanis* vel *Ægrotis* in iſtis enucleandis moveatur, (de illis fortaſſe alibi, per occaſionem, ſi Deus annuerit, fuſè & opportunè ſcripturus) hic ſubſiſto.

FINIS.

NE PAGELLA ALIqua vacaret, placuit etiam *prædictis (propter argumenti* similitudinem) sequentia adiungere, *quæ Anno Dom.* 1603. dum Parisiis viverem, præfationis *loco à me excusa fuere*, Henrico 4. Galliarum Rege regnante.

GRana Angelica, *quæ in hanc Civitatem haud ita pridem Venetiis advexi* (Lector benigne) *vim suam mirificè succesſuque felici superioribus diebus exeruerunt, non ſolum in capitis Stomachique doloribus, ut & Rheumatibus, iiſque tam quæ extrinſecus fluunt, quam quæ interius corpus vexant tollendis, verumetiam (quod præter omnium opinionem accidit) in Articulorum ac Sciaticæ tormentis fugandis, ac ſublevandis, quod evidenti nobiliſſimorum huius vrbis teſtimonio indies magis magiſque comprobatur. Quapropter ego, quum non minus ſub hoc cœlo utilia eſſe, quam in inclyta Venetiarũ Civitate compertum habeam (ubi triginta plus minus annis tanquam ex Æſculapii Fano*